Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36484
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift



& ad supradictas semitas perducerent. Omnes itaque filii israel surgen
tes de sedibus suis tetenderunt aciem in loco qui uocabatur baaltha
mar. Insidie quoque que circa urbem erant paulatim se aperi
re ceperunt. & ab occidentali urbis parte procedere; sed et alia de
cem milia uirorum de uniuerso israel habitatores urbis ad certamina
prouocabant. Ingrauatumque est bellum contra filios beniamin.
& non intel lexerunt quod ex omni parte illis instaret inte
ritus. Percussit que eos dominus in conspectu filiorum israel. & interfece
runt eos in illo die .xx.v. milia hominum & centum uiros omnes bella
tores & educentes gladium. Filii autem beniamin cum se inferiores
esse uidissent. ceperunt fugere. Quod cernentes filii israel dederunt
eis ad fugiendum locum. ut ad preparatas insidias deuenirent.
quas iuxta urbem posuerant. Qui cum repente de latibulis sur
rexissent. & beniamin tergа cedentibus darent. ingressi sunt ci
uitatem. & percusserunt eam in ore gladii. Signum autem dederunt filii
israel his quos in insidiis collocauerunt. ut postquam urbem cepissent
ignem accenderent. ut ascendente in altum fumo captam urbem
demonstrarent. Quod cum cernerent filii israel in ipso certamine
positi. putauerant enim filii beniamin eos fugere. & instantius
sequebantur. cesis de exercitu eorum .xxx. uiris. & uiderunt
quasi columpnam fumi de ciuitate conscendere. Beniamin quoque re
tro aspiciens cum captam cerneret ciuitatem. & flammas in sublime
ferri. qui prius simulauerant fugam uersa uice fortius resistebant.
Quod cum uidissent filii beniamin in fugam uersi sunt. & aduiam deserti
ire ceperunt. Illic quoque eos adunsarius persequentibus; sed et hi qui urbe
accenderant. occurrerunt eis. Atque ita factum est. ut ex utraque par
te ab hostibus cederentur. nec erat ultra morientium requies.
Ceciderunt atque prostrati sunt ad orientalem plagam urbis gabaa.
Fuerunt autem qui in eodem loco interfecti sunt decem & octo milia uirorum.
omnes robustissimi pugnatores. Quod cum uidissent qui remanse
rant de beniamin. fugerunt in solitudinem. & pergebant ad pe